

Fabianus Dameraw Reverendissimo  
Domino Dño Joanni Dantisco Episcopo  
Culmensi Domino meo gratissimo.

124

Rūme Domine Dñe et Patrone gratiore!

Post mei commendationem, scripsi Reve-  
rendissima Dominationi vestrae praterito  
tempore semper habita opportunitate, sed  
nullum responsum obtinui prater unum  
ex Bruxellis, non enim metuo mihi non  
esse scriptum, sed errore portantium amif-  
sas. Nova que hic aguntur paucis  
perstringam, oratores regij redierunt ex  
Moscovia, qui illic inducias pro uno  
anno confecerunt.

Nuntius etiam à Turco redijt, ut ajunt  
sine responso, nam ad ea, que commissa  
habuit, orator Imperatoris reversurus  
est. s. Grytum advenire dicunt, nec tamen  
ad futurum sperant in quinque mensi-  
bus.

Rumor etiam est Turcas multos in Hun-  
gariam advenisse, de quibus credo apud  
vos certius sciri.

Dominus Lamoycki Referendarius Maje-  
statis Regis die lune extremum diem vi-  
te clausit, cujus domus è regione Reve-  
rendissimi domini Crae cepsit Domino Jo-  
anni Andrea phivio Scholastico Lancii.

Lanciensi, proculdubio habebit Dominus  
Orzewicius nepos Archiepiscopi de alijs  
beneficijs me latet.

Dominus Severinus Bonar etiam conso-  
rem suam amisit superioribus diebus, qui  
nuper consulatus officium hujus civitatis  
s. ut ita dicam reddidit, nam factus est  
Consiliarius Regni, datus enim est illi Ca-  
stellanatus Larnoviensis.

Orator Ducis Prussia Dominus Georgius  
Kunheim hic at ut sentio super nego-  
tio illo ordinis aut potius imperij.

In Prussia nil mutatum intelligo, prater  
quod Domina Anna Hannovische soror  
Reverendissima Dominationis Vestra nu-  
psit cuidam jurisperito Joanni Rhey-  
negk mihi nondum cognito.

Siculus noster qui Scasmi Rotterodami  
laudes solet minuire, divulgat hic eum  
esse in tota Gallia excommunicatum, quod  
an ita sit, melius apud vos sine dubio  
scitur.

Nil restat iterum me in gratiam Domi-  
nationis Vestra Reverendissime com-  
mendo, que feliciter valeat. Datum  
Cracovia Die vigesima octava mensis  
Maij anno Domini Millesimo quingente-  
simo trigesimo secundo.

Ejusq; Dñs Vestra Rndissime  
Servus Fabianus Dameraw.